

illa consequentia, convenit aliquid accidentaliter alicui, ergo distinguitur ab illo a parte rei, tum in prædicatione differentie respectu generis, nam animali accidentaliter convenit rationale, et tamen non distinguitur a parte rei ab illo; tum in ista prædicatione: Vas est ligneum, vel aureum, quod est prædicatum accidentale, seu quinti prædicabilis, et tamen non distinguitur realiter ab ipso subjecto, nam substantia vasis non distinguitur ab ipso auro, vel ligno; ergo similiter nec essentia et existentia; tum etiam quia sine additione novæ realitatis, per hoc solum, quod res est subjecta agenti et ejus productioni, dicitur existens; tum denique, quia si nostra ratio aliquid probat, etiam probat quod existentia est accidens prædicamentale respectu substantie, cum superveniat illi tanquam forma distincta, hoc autem est impossibile, quia accidens supponit subjectum, cui convenit esse existens.

Sed contra primam instantiam roboratur argumentum, quia res quæ transit de statu possibili ad statum existentie, seu de non esse ad esse, non solum accidentale prædicatum et extrinsecum accipit respectu status possibilitatis, seu ipsius entis, ut transeuntis de non esse ad esse, sed etiam respectu ipsius rei jam productæ, ita quod de ipsa verificatur existentia in facto esse tanquam prædicatum non essentialiale, nec per se connexum. Et ratio est manifesta, quia hoc, quod est existere in facto esse, de aliquo subjecto verificatur accidentaliter seu non essentialiter, et non de ipsa re sub statu possibilitatis, sic enim existentia in facto esse est prædicatum illi oppositum; de re enim intra causas et in statu possibili non verificatur, quod sit extra causas seu existens; ergo verificatur hoc præ-

dicatum existere solum de re extra possibilitatem considerata et posita, et tamen de tali re verificatur accidentaliter, et tanquam prædicatum non per se connexum cum illa; ergo perperam dicitur, quod existentia in facto esse est accidentale prædicatum, et distinctum, seu extrinsecum respectu rei producibilis, seu possibilis, non respectu rei productæ. Nec instari potest in hoc prædicato mortuum, quod etiam accidentaliter alicui subjecto convenit, et non viventi, quia illi repugnat; ergo cadaveri, et tamen cum illo identificatur. Nam contra est, quia mortuum pro morte in facto esse non est prædicatum accidentale sicut existere in facto esse, eo quod mortuum opponitur vitæ essentiali, et illam tollit, et sic essentialiale est cadaveri, existere autem naturam non constituit, nec tollit, sed extra causas præcise ponit.

Contra secundam vero instantiam manifeste urgetur illa consequentia; nam quod attinet ad animal et rationale, jam dictum est quod licet rationale accidat animali, quia potest dari animal sine illo, tamen tunc solum identificantur, quando inveniuntur in aliquo tertio, quod essentialiter constituunt, ita quod ab eadem forma proveniunt; at vero existentia non potest essentialiter convenire, neque ipsi entitati essentiali, nec alicui tertio, quod essentialiter constituat, cum nulli rei create essentialiter conveniat existentia, nec ab eadem forma potest provenire, cum forma non sufficiat dare existentiam se sola, sed mediante productione agentis, quod ita producit formam, quod etiam superaddit existentiam tanquam quid distinctum. Illud autem exemplum illis prædicationis: Vas est ligneum, magis stat, pro nobis, quia vas non dicit solum lignum; de ligno enim

male prædicaretur, quod est ligneum, sed dicit lignum cum forma artificiali, quæ est realiter distincta, et sic ratione illius, seu respectu illius prædicatio redditur accidentalis, similiter ergo si esse existens est accidentale prædicatum aliquam formam distinctam supponit, ratione cujus accidentale sit.

Tertium etiam exemplum non est ad, rem quia rem subjici agenti, et esse productam in facto esse non est denominatio extrinseca sed intrinseca in ipsa re producta, nihil enim dicitur existens, seu productum in facto esse id quod non est in se, ut intrinsece denominans, sicut esse visum, in se enim existit quidquid existit, nec sufficit sola relatio dependentiæ ab agente, quia rem esse existentem non est effectus formalis relativus, sed absolutus, nec ipsimet relationi convenit ut *ad*, sed ut *in*; ergo esse productum, seu existens non est sola extrinseca subjectio ad agens, sed aliquid intrinsece denominans, quo dicitur res producta in se actu esse.

Denique ad ultimum dicitur, quod existentia non est accidens prædicamentale, ut sensit Molina supra citatus, existimans, quod est duratio de prædicamento *quando*. Sed quod non sit accidens inhærens satis probat argumentum contrarium. Et ideo dicimus, quod existentia est terminus, seu formalitas reductivæ pertinens ad entitatem, quæ existit, sicut subsistentia non est accidens, sed terminus, seu modus substantialis distinctus a substantia, et similiter unio in multorum sententia.

Secundum fundamentum consistit in explicatione hujus distinctionis existentie ab essentia, quia videlicet necesse est, quando aliqua res producitur cum aliquo superaddito produci, quod est existentia, sed hoc melius explicabitur in solutione argumentorum.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Quia impossibile est existentiam recipi realiter in ipsa essentia; ergo impossibile est quod existentia distinguatur realiter ab essentia. Consequentia probatur, quia si realiter distinguitur, et tamen reddit essentiam existentem, oportet quod recipiatur in essentia, sicut forma in subjecto; ergo si non potest recipi, non potest distingui. Antecedens vero constat, quia essentia ut condistincta ab existentia est nihil, et non extra causas, cum per ipsam existentiam extra causas ponatur; ergo non potest realiter recipere aliquid a se distinctum. Nec valet dicere, quod ad recipiendum non prærequiritur existentia in recipiente, sed sufficit quod in re nunquam detur sine illa: et sic est in præsentia, quia essentia in re semper habet adjunctam existentiam, licet distinctam a se, sicut materia recipit formam tanquam distinctam a se, et tamen sine forma non existit. Nam contra est, quia pro illo priori, quo essentia recipit existentiam, et materia formam, essentia et materia se habent ut causæ reales, et realiter causantes, quia ab illis realiter pendet, id quod recipiunt; ergo pro illo priori et antecedentia causalitatis realis, realiter esse debent, et consequenter extra causas. Et confirmatur, quia licet essentia accidentaliter existat, non sequitur quod realiter distinguatur ab existentia; nam ipsa existentia si distinguitur ab essentia, etiam debet existere accidentaliter, cum sit aliquid creatum; ergo indigebit aliqua existentia superaddita, et sic erit processus in infinitum.

Respondetur apud D. Thomam esse indubitatum, quod recipiens non est necesse quod præsuppona-

tur existens, sed sufficit quod in re nunquam inveniatur sine existentia, et ita non inconvenit, quod reddatur existens per aliquid quod recipit; imo in hoc distinguit D. Thomas materiam et subjectum, quod subjectum non habet esse ex forma sibi advenienti, sed presupponitur in se existens, sed materia dicitur id quod habet esse, per id quod sibi advenit, sicut materia redditur existens per formam. Ita affirmat D. Thomas opuse. xxxi, in principio, et viii Met. lect. iv. Certe relatio dependentiæ a Deo est aliquid realiter receptum in creatura, cum illa relatio distinguatur a parte rei a subjecto, saltem ut modus, et tamen subjectum ante illam dependentiam actualem a Deo nihil est, ergo bene stat recipere aliquid, sine quo subjectum ipsum non est aliquid reale. Et simile est de materia respectu formæ substantialis, imo multæ substantiæ, sine accidentibus esse non possunt, nec conservari, sicut substantia corporea, sine quantitate et dispositionibus, et tamen substantia recipit illa non tanquam aliquid existens absolute ante illa, sed ut existens dependenter ab illis. Similiter ergo poterit essentia recipere existentiam, et materia formam non existendo ante illa, sed dependenter ab illis seu per illa. Itaque ad recipiendum non se habet formaliter ens actu, sed sufficit ens in potentia, quia actualitas, non est ratio recipiendi, sed unumquodque recipit in quantum est in potentia, licet in re et concomitanter debeat recipiens esse in actu, unde sufficit quod reddatur existens per id quod recipit, non antequam recipiat.

Et ad replicam de realitate causæ, et dependentiæ pro illo priori, quo aliquid causat materialiter, respondetur, quod illa prioritas, cum sit tantum prioritas a quo, non *in quo*, non est necesse quod pro illa prio-

ritate explicetur existentia causæ, sed sufficit quod explicetur potentialitas ejus, quia præcise explicata ratio conducens ad causam materiale, seu ad receptionem, ad receptionem autem, formaliter loquendo, non conducit actualitas, sed potentialitas; unde pro illa prioritate non explicatur existentia causæ materialis, licet in re existens sit, sed hoc est per existentiam receptam, quia hæc in eodem instanti recipitur. Et hoc argumentum etiam solvendum est in causis, quæ ad invicem sunt sibi causæ, ut dicimus quæst. x, nam pro illo priori quo aliqua causa causat, nondum intelligitur causata ab alia causa, et consequenter nec complete existens, quia ut causæ ad invicem causent, sufficit quod in re semper existant; non vero quo pro omni prioritate, et explicatione causandi; et præsertim ad causandum materialiter sufficit, quod aliquid sit ens reale per modum entis in potentia, non per modum entis in actu, ens autem in potentia etiam ut tale ens reale est, et non purum nihil, alioquin opponeretur contradictorie ipsi actui, non autem reciperet illum.

Ad confirmationem respondetur quod existentia existit essentialiter ut *quo*, id est, ejus essentia consistit in hoc, quod sit ratio existendi; existit autem accidentaliter ut *quod*, quatenus existente toto etiam ipsa existentia cum eo existit, totum autem accidentaliter habet esse.

Secundo objicies: Quidquid ab alio distinguatur, et illi advenit, potest a Deo corrumpi vel separari illo priori stante, nec enim aliter potest cognosci realis distinctio, nisi quia unum sine alio realiter stare potest, nec potest intelligi, quod aliquid alteri adveniat, nisi supponat existens et completum in esse id cui advenit, sed non potest existen-

tia corrumpi, vel separari permanente essentia, remota enim existentia, essentia non est extra causas, sed omnino nihil, ergo non distinguatur realiter ab essentia. Quod argumentum aliqui dicunt formari a M. Soto in Physicorum, q. ii, ad probandum quod existentia non distinguatur ab essentia in re. Cæterum M. Soto non facit hoc argumentum ad probandum, quod non distinguatur existentia a parte rei, sed quod non distinguatur tanquam res a re; subdit enim ibidem: « Quod dicitur esse distingui ab essentia, sicut sedere ab homine, quia non est de essentia hominis, ut sit existens. » Si ergo distinguatur, ut sessio a sedente, manifestum est ponere distinctionem a parte rei, non realem, sed modalem.

Respondetur ergo ad argumentum, quod separatio mutua unius ab alio saltem non requiritur ad distinctionem modalem, modus enim non separatur a re, res autem licet separaretur a modo, tamen aliqui modi sunt, a quibus res non potest omnino separari, quia necessariam connexionem habent cum aliquo, licet non cum isto, vel illo determinate, sicut non potest aliqua substantia stare sine omni subsistentia propria, vel aliena, nec quantitas in suo statu naturali sine omni figura, nec qualitas intensibilis sine omni modo intensionis, vel remissionis, et similiter, nec essentia aliqua, sine existentia propria, vel aliena si est modus. Deinde negatur absolute, quod omnis realitas possit separari ab omni eo, a quo realiter non distinguatur, nisi quando non intercedit mutua dependentia. Et instatur, tum in relativis, quia relatio non potest existere sine termino, a quo realiter distinguatur, tum in absolutis, quia materia non potest esse sine omni forma in opinione supra approbata, et totum non potest esse

sine partibus, etiam dato quod totum distinguatur realiter a partibus simul sumptis, et idem est de essentia et existentia, quia cum existentia sit terminus productionis, quo agens relinquit rem extra causas implicat quod essentia intelligatur extra illas sine tali termino, quo formaliter extra causas ponitur. Tertio dico, quod potest consumi existentia creata, et subrogari Divina, sicut in sententia D. Thomæ humanitas in Christo existit existentia Verbi, de quo in part. qu. xvii, artic. ii, quod est signum distinctionis a parte rei, quia sic separantur.

Tertio objicies: Nullo superaddito modo, vel entitate, essentia est extra causas, hoc ipso quod procedit ab agente; ergo existentia nullo fundamento distinguatur ab essentia. Consequentia constat, quia ad nihil aliud ponitur existentia, nisi ut res sit extra causas. Antecedens vero probatur, quia potest concipi lapis productus omni alio modo remoto, vel non cogitato, tunc ergo vel concipitur lapis in actu, vel in potentia; non in potentia, quia est productus; ergo in actu, ergo existens, quia quod extra causas et potentiam est, existens dicitur. Confirmatur, quia si existentia est modus, debet dimanare a re, cujus est modus, sed non potest emanare ab essentia, ut intra causas, quia ibi nihil est, et sic essentia se ipsam poneret extra causas, si a se ipsa pullularet ille modus, quo formaliter redditur extra illas; ergo emanat ille modus ab essentia in actu, et extra causas, ergo existenti, et sic existentia emanaret ab existentia, et cum pro illo priori, quo causat talem modum, nondum intelligatur habere illum, consequenter esset existens, antequam haberet existentiam.

Respondetur non posse concipi lapidem, ut productum, nisi cum existentia, quia existentia est ratio

formalis, qua dicitur res extra causas posita, et extra nihil; et sic si concipitur res aliqua ut producta in facto esse hoc ipso concipitur extra causas, atque adeo cum existentia, sed tamen tunc non concipitur sola essentia quidditati-ve, sed etiam cum aliquo accidentali, scilicet cum illa existentia, seu productione passiva, qua de facto est extra causas; et hoc accidentaliter sibi convenit. Quod si inquiras de ipsa quidditate, quæ dicitur susceptiva existentia, quæ concipi potest ut subjecta agenti, licet nondum subjecta passive ipsi existentia; ergo tunc concipitur extra statum possibilitatis, utpote subjecta agenti, et tamen sine existentia superaddita, respondetur quod entitas sic concepta non concipitur, ut formaliter existens, nec solum ut objective possibilis, sed ut subjectum existentia, secundum quod explicat receptionem ex parte subjecti, non vero informationem ex parte existentia, quæ est forma constituens extra causas. Itaque in ipsa repræcindi potest id quod est subjecti in recipiendo sine consideratione ejus, quod est existentia in informando, et tunc sine existentia non intelligitur ut existens formaliter, sed ut recipiens existentiam, sicut corpus ut recipiens albedinem non considerata informatione albedinis, non consideratur album, sed ut materialiter tendens, ut album sit.

Ad confirmationem respondetur quod modus ille existentia (si modus est) non dimanat ab essentia ratione intrinsicæ connexionis prædicatorum, sed ab agente ei communicatur. Et quando dicit D. Thomas I p. q. L, art. v, quod esse secundum se competit formæ, sicut rotunditas circulo intelligitur, quod formæ physice consideratæ, id est, ut subjicitur motui et actioni per se convenit existentia, id est, non per

aliud, sed immediate, ad differentiam materia, cui non nisi mediante forma. Sic ergo modi contingentiter convenientes, et non intrantes constitutionem rei, non est necesse, quod dimanent ab essentia per necessariam connexionem, sicut propriæ passiones, sed quod reliquantur ab ipso agente in essentia, quia media actione agentis conveniunt, sicut etiam alii modi conveniunt, subjecto non dimanando ab essentia ut sessio, et alii similes.

Ultimo objicies: Quia remota existentia nihil verè et realis entitatis manet, sed tantam veritas objectiva quæ non est aliud, quam non implicatio contradictionis, ut aliquid sit, si enim remota existentia aliquid reale maneret, daretur ab æterno aliqua entitas realis præter Deum, scilicet omnis entitas creata non existens, et tamen realitatem habens, ergo non datur in quacumque re existentia remota, aliquid reale informabile ab ipsa, ergo per existentiam et non ante incipit aliquid esse reale, sed inter esse reale et non reale, non potest dari distinctio realis, quia debet esse inter extrema realia et positiva, ergo non distinguitur existentia realiter ab essentia ut ab extremo reali.

Respondetur, quod existentia potest removeri ab entitate reali dupliciter; uno modo remotione separationis, ita ut essentia sine existentia maneat. Secundo, remotione distinctionis, ita quod sit duplex entitas vel modus entitatis, licet una nunquam sit sine alia, sed vel utraque pereat vel utraque detur. Primo modo, essentia remota existentia pure manent intra causas, et in se nihil: nec dicitur remanere connexio illa et veritas æterna realiter, et subjective, sed objective, nec est aliquid efficienter et libere principatum a Deo; efficientia enim terminatur ad existentiam et sine

illa non datur, sed est veritas objectiva non fundata in aliqua mutatione, ratione cujus tale prædicatum conveniat, sed independenter ab omni mutatione, et hoc ipso quod in mente Divina datur conceptio, sive idea alicujus creaturæ resultat veritas illa objectiva in re cognita, seu cognoscibili, existentia vero solum resultat in tempore, quia mediante immutatione agentis provenit. Cæterum secundo modo datur in quacumque productione rei duplex entitas, scilicet res ipsa quæ subjicitur agenti, ut terminus actionis ejus, et ipsamet existentia, cui subjicitur, eo quod producitur essentia, non cum solis prædicatis quidditativis, sed cum aliquo prædicato superaddito ad essentiam et distincto, quia contingentèr ei convenit, scilicet existentia, et res sic subjecta existentia secundum se, et ut distinguitur ab existentia non est nihil, aut in statu pure objective, sed est ens, non actu ex se, sed susceptivum actus ut D. Thomas loquitur opus. xv, c. viii, nec enim ad realem compositionem requiritur, quod utrumque extremum sit in actu existens de se per distinctam existentiam, sed sufficit quod utriusque existentia conveniat, uni ut suscipienti, alteri ut danti seu informanti; suscipiens autem existentiam non est nihil, nam nihil non est capax existentia, nec susceptivum ejus, sed contradictorie illi opponitur. Quod ergo se habet ut entitas susceptiva existentia, hoc ipso quod susceptivum est, non est nihil, sed tamen se solum habet subjective seu per modum capacitatis esse ex extra nihil, formaliter autem per existentiam. Et hoc est quod dicunt aliqui graves Auctores, quod pro illo priori, quo essentia intelligitur recipere existentiam quodammodo intelligitur nihil, et quodammodo aliquid, quo aliquid dicitur humanam

figere intelligentiam cum inter nihil et aliquid non cadat medium. Et vere dicunt, intelligendo hoc de instanti reali *in quo*: in re enim non stat aliquid partim esse nihil, partim aliquid, et formaliter non esse extra nihil, in re enim semper habet existentiam per quam formaliter est extra nihil. Sed secundum præcisiones intellectus, et prioritates causalitatis, invenitur aliquid esse subjectum existentia nondum intellecta informativa existentia, et sub illa prioritate seu intelligentia subjecti, seu receptivi existentia non intelligitur nihil, quod est oppositum et incapax existentia, nec intelligitur formaliter existens; sed intelligitur ut capax existentia, et tendens ad existentiam, id est, subjective existens, non formaliter. Licet autem non sit medium inter nihil, et aliquid tamen inter aliquid ut formaliter existens, et nihil illi oppositum datur aliquid medium, scilicet capacitas et entitas subjiciens se illi formalitati existendi; licet in re nunquam sine illa formalitate extra causas reperiat.

ARTICULUS V.

Utrum unica existentia sufficiat toti composito?

Qui tenent existentiam non distinguunt a realitate essentia, tot multiplicant existentias, quot realitates, sive partiales sint, sive totales. Cæterum D. Thomas apertissime tenet, existentiam unam, et eandem convenire rei, eo modo quo illi convenit fieri, existentia enim est terminus, quo aliquid ponitur in facto esse extra causas. Unde eo modo convenire debet alicui existentia seu factum esse quo convenit ipsum fieri. Convenit autem secundum D. Thomam fieri et factum esse ipsi toti tanquam *quod*, partibus autem

componentibus tanquam *quo*. Unde simpliciter una existentia afficiens totum, reddit existentes omnes partes illius, quæ secundum se non existunt, sed prout in toto, sed solum inexistunt vel coexistunt.

Hanc ergo esse D. Thomæ sententiam ex pluribus locis aperte colligitur, nam in secundo contra Gentiles, c. LV, dicit: « Quod in compositis ex materia et forma, nec materia, nec forma potest dici ipsum quod est, nec etiam ipsum esse, forma tamen potest dici quo est secundum quod est essendi principium, ipsa autem tota substantia est ipsum quod est, et ipsum esse, est quo substantia denominatur ens. » Et in eodem libro, cap. XLIII, inquit: « Quod sicut unicuique creato convenit fieri, sic sibi convenit esse, esse autem non convenit formæ tantum, nec materiæ tantum, sed composito, materia enim non est nisi in potentia, forma vero est qua aliquid est, est enim actus, unde restat, quod compositum proprie sit. » Denique, communiter docet D. Thomas quod esse pertinet ad naturam, et ad suppositum seu hypostasim ad naturam ut *quo* aliquid est, ad suppositum vero ut an id *quod* est, et ita unitas ipsius esse sumitur ab unitate suppositi, cui per se primo convenit esse. Quæ doctrina traditur a D. Thoma I part. q. XVII, artic. II et in III, dist. VI, q. II, artic. II, et ibidem ad Annibalium q. unica, artic. II, præsertim ad 2, et quodl. IX, artic. III.

Nec potest dici, quod D. Thomas nomine existentie intelligit subsistentiam, ut aliqui dicunt. Qui tamen saltem fateri debent unicam subsistentiam sufficere toti composito et ejus partibus, si D. Thomam intelligunt de subsistentia non de existentia. Quod vero idem sit dicendum de existentia, sensus ipse D. Thomæ declarat, nam si dicit,

quod esse pertinet ad naturam ut *quo*, ad suppositum vero seu subsistentiam ut *quod*, si sumit ipsum esse pro subsistentia, sensus esset subsistentiam pertinere ad subsistens, quod esset inutilis repetitio, et male diceret D. Thomas per hoc esse denominari ens, sed denominari subsistens, si esse sumit pro subsistentia non pro existentia. Et præterea in loco III partis, q. XVII, artic. II, III, dicit: « Quod in Deo tres Personæ non habent nisi unum esse, haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse Personæ, et aliud esse naturæ: » si autem sumeret D. Thomas esse pro subsistentia, quomodo diceret tres Personæ non habere nisi unum esse cum sint tres personalitates, seu subsistentie? Ergo quando dicuntur habere unum esse, non potest sumi *ly esse*, pro subsistentia.

Fundamentum autem hujus sententia, desumitur ex tripli capite. Primo, ex ipsa ratione existentia, quæ est actus ultimus. Secundo, ex ipsa ratione partium, quæ non possunt existere ut *quod*, sed ut *quo*. Tertio, denique ex ipsa ratione productionis, seu fieri, quod solum convenit toti, esse autem sequitur ipsum fieri, cum constituat rem in facto esse.

Et primum explicatur sic, quia existentia, seu esse, non est prædicatum constitutum quidditatis, sed extra totam quidditatem illius rei convenit, partes autem intrant ipsam quidditatem et constituunt illam ergo prius est, quidditatem constitui per suas partes et prædicata, quam illi advenire existentiam. Si autem dicatur, partes ipsas prius habere proprium esse partiale, deinde componere totum, et existat, contra hoc est, quia illud esse totale, quod ipsi toti convenit tanquam adveniens post prædicata essentialia, et partes intrinsece cons-

tituentes, supponit ipsam entitatem totius, indigere ista existentia totali, et per eam actu reddi existentem. entitas autem totius nihil est aliud, quam suæ partes; ergo si illi convenit existentia totalis, ut per illam existat totum, necessario supponit partes non esse existentes, nec unionem earum, cui etiam sua propria existentia tribuitur in hac sententia. Item vel illud esse seu existentia totius afficit, redditque existentes ipsas entitates partium, quæ componunt totum, vel non. Si afficit, ergo supponit non existentes secundum se, alias si supponeret, frustra redderet existentes. Si non afficit, ergo cum non sit alia entitas in toto quam entitates partium, nullam entitatem afficit existentia totius, quod est idem ac non dari talem existentiam cum tamen ipsum totum sit vera entitas producta ab agente; et ultimus generatio substantialis, quæ producit ipsum totum non faceret existentiam simpliciter, quæ sit unum esse, sed plures existentias partium sine aliqua unitate earum inter se conjungeret.

Et hinc sumitur secundum fundamentum, quia si quælibet entitas partialis habet existentiam distinctam ab existentia alterius partis, quælibet existentia dabit suum effectum formalem, sed existentia est actualitas, qua aliquid formaliter, et ultimate constituitur extra causas; ergo unaquæque pars se ipsa habens existentiam partialem, se ipsa habet esse extra omnes causas, alioquin existentia non erit, nec etiam partialis si extra omnes causas; ergo ad existendum in rerum natura non indiget aliis partibus, nec existentia unius partis conponeret cum existentia alterius unam existentiam totalem, quæ sit per se una, sed erunt plures existentia, per accidens conjunctæ, in

uno toto. Sequela probatur quoad utramque partem. Quoad primam constat, quia existentia est formalitas contiuens aliquid extra omnes causas, et extra nihil, et consequenter supponit omnem conditionem requisitam, ut aliquid sit extra nihil, quia si aliqua conditio non est posita, nondum est extra nihil; formalitas ergo existentia hoc ipso quod ponit extra nihil, ponit extra omnem causam et conditionem, sine qua non est extra nihil; ergo si se ipsa quælibet entitas substantialis est existentia, se ipsa est extra alias partes substantiales, nec indiget una pars altera parte ut existat, sicut nec indiget altera parte, ut entitas partialis sit. In nostra autem sententia, forma et pars non habent existentiam, nisi ut *quo* seu principium existendi, non ut existente ut *quod*. De quo S. Thoma I. p. q. cxc, artic. II, et quodl. IX, artic. III.

Quoad secundam vero partem probatur sequela, quia existentia de suo conceptu est id quo aliquid ponitur extra omnes causas et extra omne illud a quo dependet, ut sic extra nihil: ergo non potest esse in potentia ad aliam existentiam, a qua perficiatur, et actuatur, quia in ratione existentia nihil illi deest, ut sit extra nihil, et in actu, si enim deesset, existentia vera non esset, sed adhuc nihil et intra aliquam causam. Quod si una existentia non potest comparari ad alteram ut potentia ad actum, vel e contra; ergo non potest componere cum altera existentia etiam partiali unam tertiam, quia quælibet illarum est in actu ultimo, et sic non potest comparari cum altera, nisi tanquam actus cum actu, quod nullam facit compositionem per se, quia una non perficit aliam, nec dependet ab alia, ut sit extra causas, et sic unicuique illarum est per accidens, quod sit conjuncta cum altera. Sic

ergo ex ipsis visceribus existentiae repugnat dari partiales existentias, quae hoc ipso quod partiales sunt, ordinari debent ad unam totalem, alias ut quid partiales sunt.

Ex hoc autem sumitur ultimum fundamentum, quo saepe utitur D. Thomas, quia fieri et generari solum competit par ipsi composito, et rei subsistenti, ergo et existentia quia haec non est aliud, quam terminatio ipsius fieri, et hoc principio utitur D. Thomas I p. q. XLV, artic. IV et VII, et q. LXV, art. IV, et q. LXXV, artic. 1, et q. CXC, art. II, quibus locis et aliis multis remittit se D. Thomas ad dictum Philosophi VII, Met. text. XXVI, ubi ostendit, nec materiam, nec formam fieri per se, sed compositum; forma autem solum fit tanquam id, quo aliquid habet esse, ubi potest videri D. Thomas lect. VII. In summa, omnis generatio ad hoc aliquid seu ad singulare terminatur, forma autem, v. g. rotunditas non individuatur nisi in materia, quia per se ipsam non subsistit; compositum autem seu totum in se ipso individuatur et subsistit, ergo per se primo generatur et fit, quia per se primo est hoc aliquid, si autem forma per se primo ferret, debet esse hoc aliquid, et sic constaret ex alia materia et forma, vel saltem esset in se subsistens. Restat ergo, quod cum ipsi composito seu subsistenti immediate et per se conveniat fieri et generari, ergo et factum esse, seu terminus fieri, qui est existentia, et mediante illo partibus, quia entitas totius non est alia ab entitate partium.

Nec dici potest, quod ad singulas partes terminatur actio partialis, et ad totum totalis; et sic etiam ipsi partibus correspondet esse partiale. Nam contra est, quia istae actiones partiales vel faciunt ipsas partes tanquam id quod habet esse, et hoc

aliquid ut loquitur Philosophus, vel tanquam id quo aliquid habet esse, et redditur existens. Si hoc secedendum, non est contra nos, qui dicimus formam esse id quo aliquid est, et fit, ut locis citatis affirmat D. Thomas. Si primum, obstat Philosophus, et ejus ratio, quia illi solum convenit fieri tanquam quod, sive dicatur pars, sive totum, quod per se individuum est hoc aliquid, forma autem non est per se individuum, quia non per se primo est incommunicabilis; illi autem convenit individuatio complete et terminative, quod incommunicabile est; ergo et illi convenit per se primo fieri, partes autem non dicuntur hoc aliquid, id est, individualiter subsistentes, nisi velimus admittere subsistentias partiales, quas supra impugnavimus. Stando ergo in sensu Philosophi, sicut non potest verificari quod quaelibet pars sit hoc aliquid, sed id quo constituitur hoc aliquid, consequenter nec datur actio et fieri per se primo ad partem, ut pars est, et consequenter nec esse. Et sic concludit Philosophus loco citato: « Quod palam est, quod illud quidem quod ut forma aut substantia dicitur, non fit, copulatio vero (id est, compositum) quae secundum hanc dicitur, fit. » Nec obstat quod aggeratio, et nutritio terminantur ad partes, et non ad totum. Respondetur enim, quod hic non loquimur de actione supponente generationem, addente seu uniente ad illam, sed de ipsa prima generatione, qua aliquid per se primo fit.

Solventur argumenta.

Primo arguitur: Nam vel illa existentia, quae convenit supposito, seu toti, est unica tanquam indivisibilis et simplex existentia pro toto

et partibus vel tanquam composita ex pluribus existentibus partialibus. Si hoc secundum dicatur, habetur intentum. Primum vero dici non potest, quia entitas composita, verbi gratia, homo, vel lapis, non possunt informari simplici existentia, debet enim existentia proportionari entitati, quae redditur existens, ergo pro entitate composita non serviet simplex existentia, alias similem existentiam haberet lapis et Angelus, et illa quae servit pro uno, serviret pro alio, quod est absurdum.

Respondetur concedendo, quod existentia rei compositae formaliter non est composita, sicut nec subsistentia; imo et ipsa forma informans, verbi gratia anima, potest esse indivisibilis, licet actus et communicetur pluribus partibus, et subsistentia Divina omnes partes humanitatis terminat, cum sit simplicissima, et indivisibilis, et in sententia D. Thomae indivisibilis entitas habitus potest ad plures conclusiones se extendere, et unica indivisibilis qualitas multis gradibus intendi. Sic ergo sicut omnes partes componentes totum, terminantur unica hypostasi, seu subsistentia, quia haec non consequitur ipsam multitudinem partium, sed adunationem earum in uno, et sic terminatur per modum unius, sicut omnes partes lineae terminantur unico puncto, ultimus enim terminus repugnat, quod compositus et divisibilis sit, ita existentia, quae est ultimus terminus in ratione actualitatis, quatenus reddit rem ultimate extra omnes causas, et in facto esse, ita quod non restat aliud ut sit in actu, ideo est ultima et indivisibilis actualitas totius, virtualiter tamen seu extensive, et praesuppositively multiplex, quatenus communicabilis omnibus partibus, quas supponit, sicut anima communicatur diversis partibus, etiam indivisi-

bilis sit in animali perfecto. Unde ad existentiam totius trahi partes, docet D. Thomas III p. q. XVII, art. II, et quodl. IX, art. III. Et ex hoc apparet differentia inter existentiam Angeli, et lapidis, quia existentia Angeli sicut et subsistentia, nec formaliter nec extensive, nec praesuppositively divisibilis est, quia caret partibus, quibus communicetur, existentia autem lapidis formaliter, ut terminus, est indivisibilis, sed praesuppositively, et virtualiter, et extensive pluribus partibus potest communicari ex quibus componitur ipsum totum, et resultat existentia ut terminus.

Secundo arguitur: Quia existentia est modus essentiae, quam afficit, et ad illam limitatur, nec enim existentia habet aliam specificationem, quam ex ipsa natura, cuius est existentia; ergo non potest afficere modificando plures partes, quia modus existens in una parte non potest modificare aliam.

Respondetur, quod etiam existentia sit modus (quod non est certum) posse afficere et identificari cum omnibus, quae ad entitatem, seu realem suae essentiae integrandam et componendam concurrunt, quia est modus totius, ut totum est, non partium ut pars praecise, sicut figura est modus quantitatis, et situs exterior, qui non afficit unam partem tantum, sed plures in quibus quantitas figurata resultat; una enim pars sine alia non efficit figuram, nec terminationem, et punctum omnes partes terminat, sic existentia, quae sequitur unitatem rei ut factae, et extra causas posita, ut terminus productionis, actualat omnes partes constituentes talem entitatem, et quando rei habenti existentiam adveniunt novae partes, illae non afferunt novum esse, sed communicant in esse totius, quod de se communicabile est

omnibus illis partibus, et per accidens, quia non dabantur in toto, non communicabantur illis, sicut anima communicatur partibus de novo advenientibus, quibus ante non communicabatur sine adventu novæ partis animæ; et ita S. Thomas in III, distinct. VI, q. II, art. II, inquit: « Quod esse unius subsistentis est per respectum ad plura, sicut esse Petri est unum, habens tamen respectum ad diversa principia constituentia ipsum, et similiter suo modo unum esse Christi habet duos respectus, unum ad naturam humanam, alterum ad naturam divinam. » Et similia habet II p. q. XVII, art. II, addens: « Quod si post constitutionem personæ Socratis advenirent ei manus vel pedes aut oculi (sicut contingat in cæco nato) ex his non accresceret Socrati aliud esse; sed solum relatio quædam ad huiusmodi, quia scilicet diceretur esse, non solum secundum ea quæ prius habebat, sed etiam secundum ea, quæ sibi postmodum adveniunt. » Ita D. Thomas. Nec sumit S. Thomas esse prout communiter dicitur de esse essentiæ et existentie, ut putat Lorea III p. dist. LXVIII, circa finem, quia persona Christi non potest dici, quod habeat unum esse essentiæ, cum sit duplex essentia, seu natura in Christo. Verificatur ergo unum esse solum rationem esse existentie, non ratione essentiæ, vel abstrahentis ab utroque.

Tertio arguitur: Esse multiplicatur secundum naturas, et non secundum supposita, ut patet in Christo, in quo est duplex vivere, alterum creatum et mortale, alterum immortale et æternum, vivere autem viventibus est esse, ut docet Philosophus II de Anima, text. XXXVII et loquitur de esse existentie, quia tamdiu existit animal, quamdiu vivit. Nec dici potest quod loquitur

de vivere pro operatione vitæ, non pro existentia, ut videtur explicare S. Thomas I par. quæst. LIV, artic. I ad 2. Sed tamen ibi non explicat S. Thomas hunc locum sed alium ex XII Metaphys. ubi dicit: « Quod actio intellectus est vitæ, et quia vivere non comparatur ad vitam, sicut esse ad essentiam, sed sicut currere ad cursum, ideo non sequitur, quod si vivere est esse, vita sit essentia. » Quibus verbis nullo modo dicit quod vivere viventibus est esse sumendo vivere pro operatione.

Respondetur, hoc argumentum, quod est P. Vazquez disput. LXXI, in I tomo, III par. poni a D. Thoma, quodl. IX, artic. III, in primo argumento. Et respondet sanctus doctor: « Quod vivere dicit esse quoddam specificatum per speciale essendi principium, et ideo diversitas vitæ consequitur diversitatem principiorum uniendi, sed esse magis respicit ad suppositam subsistentem. » Ita D. Thomas, ubi rursus neque sumit ipsum esse seu existentiam pro subsistentia, cum dicat pertinere ad suppositum subsistens, alias esset dicere, quod subsistentia pertinet ad subsistentiam; neque sumit esse pro essentia vel pro abstrahente ab essentia et existentia, sic enim non negavit tale esse essentiæ consequi principia speciei. Quia ergo vivere, vel non dicit solum esse existentie utcumque, sed specificatum et determinatum ad principium vitæ, vel dicit ipsum esse essentiæ viventis, ideo multiplicatur vivere, sicut et vita in Christo, non tamen esse pro existentia sumptum multiplicatur ex multiplicatione naturarum, cum potius ex unitate suppositi sumatur unitas existentie, ut dicit D. Thomas.

Et ex eadem ratione solvens, quod dici solet de anima, quæ in Christo dat esse corpori, et non increatum,

cum hoc ab anima provenire non possit, ergo creatum. Respondetur enim ex D. Thoma III par. quæst. XVII, artic. II ad 3, quod anima dat esse specificum et essentiale creatum immediate et formaliter, esse autem existentie mediate et radicaliter, quatenus ex esse formali sequitur existentia, ut specificata a tali forma. Sed hæc prævenitur a Verbo Divino supplente subsistentiam, et consequenter existentiam, et ideo non provenit in Christo ab anima, sed suppletur a Verbo. Unde ut dicit S. Thomas quodl. IX citato, art. III, generatio temporalis in Christo terminatur ad esse suppositi æterni, non ut simpliciter incipiat, sed ut incipiat esse suppositum humanum. Et sic generatio humanitatis, et creatio animæ de se tendebat ad dandam subsistentiam et existentiam creatam, sed assumptione impeditæ sunt, ne propriam darent, sed ad alienam naturam humanam evecta ita: « Ut ipsa assumptione crearetur, » sicut dicit S. Leo Papa epist. XI.

Adhuc tamen instabis: Quia esse est effectus formalis existentie non minus intrinsecus, quam album ab albedine, repugnat autem quod aliquid sit album sine albedine, intrinsece inhærente, nec Deus se ipso potest supplere vim causæ formalis, nec habere rationem formæ, ergo non potest se ipso existentiam supplere, quia hæc se habet per modum formæ informantis, aut saltem provenit a forma ut effectus ejus, ratione cujus soli materiæ conveniri non potest, et certe Angelus intuitive videbat naturam humanam Christi existentem, ergo causam formalem illius existentie videbat, implicat enim videre effectum formalem non visa causa formali, sicut videre album non visa albedine. Confirmatur, quia cum in sententia D. Thomæ non dentur existentie

relative in Deo, si humanitas existit existentia Verbi, uniretur in aliquo essentiali et communi tribus Personis, scilicet in existentia, quod non potest admitti.

Respondetur argumentum illud instari manifeste in subsistentia, nam etiam est effectus formalis intrinsecus, non quidem informans, sed terminans substantialiter sicut punctum quantitative, et tamen non minus est terminata natura in Verbo substantialiter, quam in se. Similiter etiam existentia dat effectum formalem terminando per modum actus ultimi, non informando per modum, accidentis, et ita suppletur per existentiam Divinam terminantem, non informantem. Et hanc causalitatem terminandi formaliter Deus supplere potest se ipso, sicut patet in subsistentia, et in specie impressa in intellectu beatorum. Nec enim causalitas ista imperfectionem ullam importat, quia ut recte dixit S. Thomas III cont. Gen. c. LI: « Deus non potest esse forma alicujus rei secundum esse naturale, sequeretur enim quod constitueret cum aliquo unam naturam, quod esse non potest, cum natura Divina sit in se perfecta, species autem intelligibilis unita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ad intelligendum, quod perfectioni Divinæ essentiæ non repugnat. » Ita D. Thomas. Ex quo colligitur quod illa ratio formæ repugnat Deo, quæ informando perficitur et non pure perficit: si autem aliqua informatio pure perficit, et non perficitur, Deo non repugnat, et talis est omnis, quæ naturam non constituit sicut est subsistentia et existentia, et species intelligibilis, existentia enim actualis quidditatem non constituendo ipsam, sed supponendo constitutam, et extra causas ponendo. Unde quantum est de se, perficit, et non perfi-

citur, non sicut partes constituentes, quæ perficiuntur toto. Sed quia limitatur ad determinatam speciem ex natura cui adjungitur, sicut relatio ex fundamento, ideo convenit mediante forma, quia mediante illa specificatur, non quia sit immediatus effectus formalis ejus.

Ad id quod dicitur de Angelo vidente humanitatem existere, idem argumentum fieri potest, quia videbat subsistere, et non videbat subsistentiam in Christo, nec in hoc Vazquez assignat discrimen loquendo de subsistere pro eo quod est habere suppositum seu hypostasim. Dicimus ergo, quod de subsistere, et existere in Christo videt Angelus extrinsecos effectus, et eodem modo se habere illam humanitatem ac si propriam haberet subsistentiam, quomodo vero subsistat, et ipsam communicationem Divinæ subsistentiæ, et formalem terminationem seu unionem, et similiter existentiam non videt, id enim esset videre unionem hypostaticam, sicut ego video effectus formales animæ, non animam in se.

Ad confirmationem respondet D. Thomas in III, dist. VI, q. II, art. II ad 2 et 3, ubi ponit idem argumentum in terminis, et dicit: « Quod licet sit unum esse in Deo (quod obiter est advertendum contra eos, qui ponunt tres existentias relativas) potest considerari, vel prout est essentia, et sic non unitur, humanitas in esse Divino, unde non unitur Patri, vel potest considerari prout est Persona et sic unitur in esse Divino. » Quare ad ipsum esse ut absolutum immediate non unitur humanitas, sed ad esse ut modificatum relatione Verbi, sic enim non est inconveniens uniri etiam ipsi Divinitati mediate, et prout modificatur ad Personam Verbi.

QUÆSTIO VIII.

DE TERMINIS MAGNITUDINIS ET PARVITATIS.

Explicato toto composito, quoad substantiam et compositionem ejus ex partibus, restat inquirere de termino quantitatis ejus quoad magnum et parvum. Cujus occasio sumitur ex his, quæ docet Philosophus in hoc libro, cap. IV, disputando contra Anaxagoram, qui dicebat, quodlibet fieri ex quolibet, non quia esset in potentia tale ut fieret, sed quia erat in actu permixtum cum alio secundum partes minimas et insensibiles, easque infinitas, per quarum congregationem, vel segregationem dicebat res naturales fieri, non per generationem substantialem, qua res fierent simpliciter. Occasione horum disputat Philosophus, quomodo res sint determinatæ magnitudinis vel parvitatibus, ita ut in quacunque quantitate conservari, aut generari non possint.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicantur principia, et præsupposita hujus quæstionis.

Duo genera terminorum in hac questione explicari solent. Primum est, qui sint termini parvitatibus, et magnitudinis in quantitate? Secundum est, qui sint termini inæceptionis, et desitionis in rebus?

Circa primum advertit, quod terminus quantitatis in communi loquendo dicitur: Aliquid divisibile, quo res aliqua finitur. Et debet esse indivisibilis, quia si aliquid in eo restat dividendum, nondum ibi terminatur et finitur, siquidem ali-

quid ulterius restat accipiendum, ut ergo amplius nihil restet, debet esse indivisibile. Potest autem terminus iste esse intrinsecus, vel extrinsecus. Intrinsecus est ille: *In quo adhuc res invenitur, sed ultra non invenitur.* Extrinsecus: *In quo res aliqua non invenitur, sed infra vel extra illum invenitur,* quod est idem ac dicere, quod sit terminus inclusive vel exclusive. Et unusquisque istorum terminorum assignari potest penes magnitudinem, vel parvitatem qui etiam sua propria nomina sortiuntur. Terminus intrinsecus penes magnitudinem dicitur *maximum quod sic*, et est ille, *in quo res esse potest, et in majori non potest.* Terminus extrinsecus magnitudinis dicitur *minimum quod non*, et est ille, *in quo res esse non potest, et in minori potest.* Terminus intrinsecus parvitatibus vocatur *minimum quod sic* et est ille *in quo res esse potest, et in minori non potest.* Terminus extrinsecus parvitatibus, vocatur *maximum quod non*, et est ille, *in quo res esse non potest, et in majori potest.* Exempla facile adhiberi possunt in quacunque designata quantitate, verbi gratia, unius vel medii palmi; si in illa designata quantitate potest esse ignis, v. g. et in majori non dicitur terminus intrinsecus magnitudinis, si in illo esse non possit, sed in minori infra illum, dicitur extrinsecus terminus magnitudinis. Et idem versus parvitatem designando aliquam quantitatem minimam.

Sed objicies contra id, quod diximus terminum debere esse indivisibilem, quia hoc non salvatur in termino extrinsecos; nam si ille est indivisibilis, non excedit rem illam quam terminat; indivisibile enim additum divisibili, non facit majus, siquidem non superaddit ei aliquid magnitudinis. Si ergo aliquid infra illud indivisibile conservatur etiam isto superaddito conservabitur, at-

que adeo erit terminus intrinsecus. Propter hoc aliquid dicunt, terminum extrinsecos non esse indivisibilem, sed partem aliquam indeterminatam, in qua res esse non potest et in minori potest.

Cæterum hoc stare non potest, nam dato termino extrinsecos magnitudinis, in illo res esse non potest, et in minori potest. Si ergo illud, ubi esse non potest, sit divisibile licet indeterminatum in nulla parte illius poterit verificari, quod in minori esse potest: nam infra quancunque restat adhuc aliquid divisibile; ergo si dividatur adhuc in minori illa res esse non potest, quia datur aliquid minus, scilicet illa medietas partis termini divisibilis, in quo adhuc esse non potest.

Respondetur ergo, quod illud indivisibile extrinsecum, non ideo est terminus, quia seipso superaddito faciat majus, sed quia est principium et initium, ut fiat majus, quia si res terminata illo termino extrinsecos augeretur, per illud indivisibile extrinsecum inciperet illud majus augmentum. Itaque illud indivisibile superadditum divisibili non facit majus formaliter, sed inchoative, et quia jam non potest incipere majus augmentum, dicitur terminus extrinsecus, illud vero indivisibile ubi sistere potest augmentum, et includi in illo, dicitur terminus intrinsecus.

Secundum quod oportet explicare et præsupponere in præsentia, sunt termini inæceptionis et desitionis, de quo latius in VI Physic. Sicut ergo in quantitate invenitur terminus magnitudinis et parvitatibus, ita in duratione terminus inæceptionis, et desitionis, qui potest esse intrinsecus vel extrinsecus. Terminus intrinsecus inæceptionis est ille, *in quo verificatur de re aliqua, quod nunc est, et immediate ante non erat.* Extrinsecus, *in quo*